

SCRIPTA

Numéro Scripta : 1660

Autre(s) référence(s) : Fauroux 218 / Tabuteau 261, 262 / ARTEM 2709

Auteur(s) : Guillaume le Bâtard, Normandie (duc)

Bénéficiaire(s) : Saint-Gatien-des-Bois, Saint-Martin-du-Bosc, dépendance Fécamp (prieuré)

Genre d'acte : notice

Authenticité : non suspect

Datation : [1059-1066]

Action juridique : fondation

Langue du texte : latin

Analyse

Guillaume le Bâtard confère en dot les biens suivants au prieuré de Saint-Martin-du-Bosc relevé de ses ruines par les deux moines Pierre et « Deodatus », venus du monastère de Fécamp : une terre à Touque qu'il avait achetée pour neuf livres ; le service d'un homme à Daubeuf, l'église Saint-Just [de Daubeuf] ayant été donnée à Saint-Martin du Bosc par un certain « Genscelinus » ; plusieurs dîmes à Langrune[-sur-Mer] vendues aux moines Pierre et « Deodatus » ; diverses terres au même endroit également vendues aux deux moines ; la moitié de la pêche dans la Touque, une acre de pré et sept setiers de céréales offerts par Guillaume de Courseulle ; deux parts de la dîme de Beuville, la moitié des oblations de l'autel, des dîmes et des sépultures, un colon, un demi-hôte, neuf acres de terre, la dîme des poissons de « Lamara », un prêtre avec l'église et sa terre, l'ensemble vendu par « Goisfridus » de « Lamara », avec l'assentiment de Roger de Beaumont son seigneur ; une dîme et une acre de terre à Beuville vendue aux deux moines avec l'assentiment de « Goisfridus » [de « Lamara »]. Les moines Pierre et « Deodatus » donnèrent également plusieurs sommes d'argent pour racheter le service (« servitium ») de plusieurs hommes à Daubeuf qu'avait dû engager, par nécessité, « Genscelinus » ; le frère de ce dernier légua, à Saint-Martin-du-Bosc sa part de terre à Daubeuf ; « Serlo » de « Lamara » concéda encore une dîme et une acre de terre à Beuville.

Tableau de la tradition

Original

A. Rouen, Archives départementales de Seine-Maritime, 7 H 12 (1).

Éditions principales

a. Chevreux Paul, Vernier Jules-Joseph, *Les archives de Normandie et de la Seine-Inférieure*, état général des fonds, recueil de fac-similés d'écritures du XIe au XVIIIe siècle accompagnés de transcriptions, Rouen, Lecerf, 1911, n° V.

b. Fauroux Marie, *Recueil des actes des ducs de Normandie de 911 à 1066*, Caen, Caron (MSAN ; 36), 1961, n° 218, p. 409-415.

Indications

Musset Lucien, *Actes inédits du XIe siècle* I. Les plus anciennes chartes du prieuré de Saint-Gabriel (Calvados), *BSAN* n°52, 1952-1954, p. 119-120.

Dissertation critique

Cet acte est postérieur à 1059 étant donné qu'on y signale la présence de Durand, abbé de Troarn dont la fondation date de cette année (voir FAUROUX, p. 411).

Texte établi d'après b

Tempore Guillelmi, Normanniæ potentissimi marchionis, Rotberti venerabilissimi filii, quidam cenobitæ Petrus et Deodatus, qui, dum seculari habitu poti rentur intra ejus curiam fuerant obversati, de Fiscanni cenobio, abbatis sui permissione Johannis nomine egressi, saltum Bonevillensem devenerunt, anachoretæ futuri, in quo, in honorem beati Martini antiquitus situm semirutum invenientes templum, ipsum sibi licere restituere expetierunt. Quod, eodem comite assentiente atque ex proprio plurimum impartiente auxiliante quoque domno Hugone, reverentissimo tunc temporis Luxuviensi pontifice, necnon primoribus quam pluribus quos dinumerare longum duxi, pro posse construxerunt. Ea vero constructa, rursus ad consulem redierunt, atque ipsi ut eam dedicari faceret suggererunt. Dux ergo, accito prefato pontifice atque Durando Troarcensi abbate, cum conjugæ dedicationi interfuit honorifice, sponsæque Deo ibi consecratæ hæc stabilivit in dote : tellurem quandam quam filii Rogerii. Rotbertus atque Croch, intra Tolcæ territorium a presule Luxoviensi tenebant, ab eis, presulis ejusdem favore, novem librarum precio emeruit, emptam quoque Sancto Martino æternali conditione ædificandam episcopi ipsius auctoritate obtulit.

Saltus vero in finitate antea deserta erat. Genscelinus denique, qui tunc fundum vici Dalbuet tenebat, ecclesiam Sancti Justi cum omnibus appendiciis, fratribus ejus annuentibus, ante comitis presentiam, Sancto Martino in ælemoniam pacto inviolabili tribuit. Comes inde benignus vici ipsius servitium, sicut suum erat et sicut habebat, Sancto Martino habendum et possidendum in redemptionem animæ suæ eternaliter donavit ; quendam etiam molendinum in supradicto saltu situm tribuit.

Guillelmus de Columbers, filius Goisfridi, vendidit Sanctæ Trinitati et Sancto Martino et Petro monacho totam decimam de terra Goisfridi, filii Rainfridi, in Langrone, et decimam de terra Gonoera et de filiis suis et de terra Alberadis cum suo filio perpetualiter, sine fine ; et pro hoc dedit ei Petrus et Deodatus decem libras et decem solidos et unum equum centum solidos appreciatum et orationes loci, et uxori tres solidos pro concessione. Testibus Genscelino, Tangredo, Richardo, Rogerio filio Harderet.

Rogerius Malreguart vendidit [Sanctæ Trinitati et Sancto Martino ... Pe]tro monacho [tria] jugera terre et dimidium agrum in Langrone, co[n]cedente Goisfrido, filio Rainfridi, domino suo ; et pro ho[c] de] dit ei Petrus et uxori ejus tres libras et .IIII. solidos. Serlo, filius Turstini, vendidit Sanctæ Trinitati, Sanctoque Martino.III. agros in Langrone de terra, pro quo dedit ei Petrus et Deodatus.XXX. [solid]os ; testibus Tanchredo et Rogerio, filio Harderet. Quidam vero Guillelmus de Corcella dimidiam partem piscationis in aqua Tolce et integrum agrum unum de prato suo obtulit et septem sextarios annonæ ob redemptionem animæ suæ : teste Genscelino, Malgerio et Herberto, filio Odberti.

Uxor vero Berengerii, pro anima viri sui, annuente domino suo Herluino, in presentia comitis obtulit Sancto Martino et tribuit unum agrum prati, et ideo dedit ei Petrus et Deodatus novem solidos. Testibus : Genscelino et Ansfredo Polein, aliisque multis +. Gausfredus de Lamara vendidit Sanctæ Trinitati et Sancto Martino duas partes decimæ de Butvillæ terra et medietatem omnium quæcumque offeruntur altari, cum medietate decimarum et sepulturarum, et unum integrum colonum de terra quæ fuit Vuatscelino, et alium dimidium ospitem de illa terra quæ fuit Peregrino cuidam ; et ex alia parte novem jugera terræ et decimam piscium de Lamara, et Odonem sacerdotem cum monasterio et totam terram quam tenebat ; et pro hoc dederunt Petrus et Deodatus supradicto Goisfrido precium centum solidorum, annuente uxore et filiis ejus et concessu Rogerii de Belmunt domini sui et uxoris ejus et filiorum : testibus Richardo de Sancto Medardo, Genscelino, Haralt, Radulfo S... tumi et filio suo Rogerio ; qua de re dederunt Petrus et Deodatus predicto Goisfrido inter omnia viginti sex libras et decem solidos et Rogerio Belmuntensi uxori que Adelinæ unam unciam auri et .XX. solidos.

Richardus vero, filius Garini, dedit Sanctæ Trinitati et Sancto Martino omnem decimam quam tenebat in Butvilla et unum agrum terræ ; et pro hoc dederunt ei Petrus et Deodatus.XXX. solidos et Goisfrido, domino ejus, dederunt sex solidos pro concessu.

Teste (corriger testibus) : Genscelino et Ricardo de Sancto Medardo et Goisfrido Broc, filio Aszoris. Hec omnia concessit Goisfridus Sanctæ Trinitati Sanctoque Martino atque Petro et Deodato et propter istam pecuniam et salutem animæ suæ. Quando Genscelinus dedit fundum de Dalbuet Sancto Martino, habebat pro sua paupertate

quorundam hominum servitium invadiatum, usque ad summam pecuniæ centum et decem solidorum. Quapropter dederunt monachi Radulfo Benevent quindecim solidos et suo filio Radulfo octo solidos et Richardo dispensatori centum solidos, quibus servitium erat invadiatum, et ita disvadiaverunt, et Sancti Martini possessionem perpetuam. Herfredus frater Genscelini dedit partem terræ quam habebat in eadem villa Sancto Martino jure hereditario, post mortem suam, si heredem non haberet.

Serlo de Lamara concessit Sanctæ et Individuæ Trinitati, Sanctoque Martino decimas de tota terra sua quam tenet in Butvilla [pro] salute animæ suæ et patris atque matris sue, uxoris suæ et filiorum, et unum agrum terræ in eadem villa, et hoc jure perpetuo. Signum Vuillelmi comitis Normannorum +. Signum Mathildis comitissæ +. Signum Rotberti filii sui +. Signum Richardi de Abrincas filii [sui] +. Testes : Rogerius... de Monte Gomerico et Rogerius de Belmunte et Ricardus vicedominus et Herluinus vicecomes de Conta Villa.

Variante, version B :

Tempore Willelmi Normannie potentissimi marchionis, Roberti venerabilissimi filii, quidam cenobite Petrus et Deodatus, qui, dum seculari habitu potirentur, intra ejus curiam fuerant obversati, de Fiscannensi cenobio, abbatis sui permissione Johannis nomine egressi, saltum Bonevillensem devenerunt, anachorete futuri, in quo in honorem beati Martini antiquitus situm semirutum invenientes templum ipsi sibi licere restituere expetierunt. Quod eodem comite assentiente atque ex proprio plurimum impartiente, auxiliante quoque domino Hugone, reverentissimo tunc temporis Luxoviensi pontifice, necnon primoribus quam pluribus, quod dinumerare longum est, pro posse construxerunt. Ecclesia vero constructa, rursus ad consulem redierunt atque ipsi ut eam dedicari faceret suggererunt. Dux ergo cum conjuge sua, accito prefato pontifice atque Durando Troarcensi abbate ac fidelium maxima parte dedicationi interfuit honorifice, sponseque Deo ibi consecrate hec stabilivit in dote : tellurem quandam quam filii Rogerii, Rotbertus et Croch, intra Tolce territorium de presule Luxoviensi tenebant, ab eis, presulis ejusdem favore, novem librarum pretio emit, emptam quoque Sancto Martino eternali conditione edificandum episcopi ipsius auctoritate obtulit.

Saltus vero confinitate antea deserta erat, Genscelinus denique, qui tunc fundum vici de Dalbued tenebat, ecclesiam Sancti Justi cum omnibus appendiciis, decem quoque acris fundi ipsius, fratribus ejus annuentibus ante comitis presentiam Sancto Martino in elemosinam inviolabili pacto tribuit. Comes inde benignus Estormit, cujus vici ipsius servitium erat, ut illud sibi venderet petiit ; sed intra petitionis hujus articulum Estormit, universa relinquens, Hispaniam profugus adiit. Consul vero vicum illum sicut fundum suum in proprio retinuit atque Sancto Martino in remuneratione anime sue eternaliter donavit. Quoddam etiam molendinum in supradicto saltu situm tribuit. Divisit fratribus eodem in loco Deo servientibus pascua sue pecunie, scilicet .VI. vaccas cum vitulis duorum annorum et suis dominicis bobus et porcis quotquot nutrire potuissent. Et de eadem silva concessit eis ligna ad materiem monasterii vel domorum suarum et ad arandum quantum necessarium esset, et duos summarios ad mortuum boscum, propter pisces emendos, et mortuas feras quas clientes eorum reperire potuissent in eadem silva vel sua morte defectas, vel aliarum bestiarum morsu peremptas. Et Hugo Luxoviensis episcopus dedit Sancto Martino unam acram terre Boneville subjacentem, et Herbertus unam virgam terre, concessu ejusdem episcopi domini sui. Et hec data sunt in die dedicationis ecclesie, in presentia comitis.

Guillermus etiam de Columbiis, filius Goiffredi, dedit in elemosinam Sancte Trinitati et Sancto Martino de Flavilla et Petro monacho et Deodato fratri ejus, qui construxerant locum Sancti Martini decimam de terra Goiffredi filii Rainfredi in Langrona et decimam de terra Gonoera et de filiis suis et de terra Alberardis cum filio suo quodam milite perpetualiter sine fine, Testibus Genscelino, Tancredo Ricardo et Rogerio filio Harderet. Radulfus filius Alani dedit Sancte Trinitati et Sancto Martino quatuor acras et dimidiam terre in Langrone et fraternitatem ejusdem loci et Fiscannensis ecclesie recepit. Testibus : Tancredo et Walterio filio ejus et Mainfredo et multis aliis. Serlo vero filius Tustini dedit Sancte Trinitati Sanctoque Martino tres acras in Langrona de terra. Testibus Tancredo et Rogero filio Harderardi. Quidam vero Guillermus de Corcella dimidiam partem piscationis in aqua Tolce et unum agrum integrum de prato obtulit Sancto Martino et .VII. sextarios annone ob redemptionem anime sue. Teste Genscelino et Malgerio et Herberto filio Hosberti.

Rogerius Malregart dedit Sancte Trinitati et Sancto Martino de Flavilla et Petro monacho et Deodato tria jugera terre et dimidium acrum in Lengrona et concedente Goiffredo filio Rainfredi domino suo

Uxor vero Beringarii pro anima viri sui, annuente domino suo Herluino, in presentia comitis tribuit Sancto Martino unam acram prati. Testibus : Genscelino et Anfrido Polein aliisque multis. Gaufridus de Lamares (corriger Lamara) dedit Sancte Trinitati et Sancto Martino duas partes decime de terra Buthville et medietatem omnium quecumque offeruntur altari cum medietate decimarum et sepulturarum et unum integrum colonum de terra que fuit Wascelini, et alium dimidium hospitem de illa terra que fuit cujusdam Peregrini et ex alia parte novem jugera terre et decimam piscium de Lamara et Odonem sacerdotem cum monasterio et totam terram quam tenebat, annuente hoc Johanne Rothomagensi archiepiscopo, salvis synodalibus consuetudinibus.

Ricardus vero filius Guarini dedit Sancte Trinitati et Sancto Martino omnem decimam quam tenebat in Buthvilla et unam acram terre.

Testibus : Genscelino et Ricardo de Sancto Medardo et Goifrido Broch, filio Aszoris. Hec omnia concessit Goifridus Sancte Trinitati et Sancto Martino atque Petro et Deodato propter salutem anime sue. Igitur quando Willelmus consul Normannie dedit Sancto Martino servitium quorundam hominum in Dalbued, habebant ipsi homines suam terram de supra villa pro suis necessitatibus vastatam (corriger vadiatam). Quapropter accepimus ab illis in vadimonium propter centum solidos illorum partem et tres bizantios de auro ex alia parte. Dedimus etenim quindecim solidos Radulfo Benevent et filio ejusdem Turgiso. VIII. solidos et altero Osulfi filio dederunt Petrus et Genscelinus. VIII. solidos. Herfredus igitur frater Genscelini dedit suam partem terre in eadem villa Sancto Martino jure hereditario post mortem suam, si heredem non haberet.

Serlo de Lamara concessit sancte et individue Trinitat i Sanctoque Martino decimas de tota terra sua quam tenet in Buthvilla, pro salute anime sue et patris atque matris sue, uxoris sue et filiorum, et unam acram terre in eadem villa et hoc jure perpetuo. + Signum Guillermi comitis Normannorum. Signum Matildis comitisse +. Signum Roberti filii sui +. Signum Ricardi filii sui etc.